

us gratiam filiationis baptizato offert & illa pér fidem à baptizato acceptatur atq; adeò animus ejus & conscientia in eâdem intimè acqviescit. I. Petr. III. 21.

XI. Qvo accepto beneficio ad voluntatem suam voluntati Dei conformandam baptizatus ultrò obligatur, qvam ad rem & vires simul confert Baptismus. Tit. III. 5.

XII. Non possunt Reformati salutis suæ esse certi, qvousque organicam baptismi virtutem inficiantur, qvod vel nupera docet inter Jurium & Saurium concertatio.

Disp. XXXIX.

De

SS. Eucharistiâ.

I.

I. Llud Tertulliani : *ubi Ecclesiastici ordinis non est confessus, & offert & tingit sacerdos, qui est ibi, solus. Sed & ubi tres, Ecclesia est, licet laici;* rectè à Nicol. Rigaltio contra Gabr. Albaspinæum & ab. H. Grotio contra D. Petavium de libertate laico, in eâ orbis parte, ubi ministri Ecclesiæ ordinati non sunt, nec haberi possunt, concessâ, utrumqve Sacramentum administrandi, exauditur.

II. Et aptissima redditur ratio : qvia, ubi vel tres sunt, Ecclesia est. Ecclesia autem ex jure sibi à Christo concesso, Matth. XVI. 19. qvemcunqve velit, & qvocunqve momento velit, constituere sacerdotem potest.

III. Fanaticum autem est, asserere, qvod in statu Ecclesiæ ordinario fidelibus qvibusvis inter se liceat administrare Eucharistiam & qvod hæc functio nullibi in Scripturâ ad ministerium sit alligata. I. Cor. IV. 1. II. Cor. V. 20.

IV. Cum nullum in Eucharistiæ institutæ historiâ indicium compareat, qvod Christus suimetipsius in cœnâ hospes fuerit, frustra id asseritur.

V. Qvo tamen non obstante Minister Ecclesiæ, (dummodo absit ordinis in qvocunqve loco usitati contemptus) sibi ipsi vel porrigere vel sumere sacra symbola æqvè potest, ac omnes possent alii, si in mensâ, propriis sumenda

G 2

mani-